



21
Bl. 89



Q. D. B. V.
 PATRONOS REI LITE-
 RARIÆ
 Generis splendore, munerum
 amplitudine, usuque rerum illustres
 atque excellentissimos,
 Summosq; ac Doctissimos Viros alios
 ad
ORATIONES
SUPREMAS

Juvenum aliquot politiori doctrina moribusq;
 ad elegantiam compositis præstantium,
 &

Hinc a nobis ad celeberrimas Saxoniae
 Academias digredientium,
 Craftina Deo volente luce,
 peracto cultu sacro pomeridiano,
 habendas,

DISSERTATIVNCVLA HAC
 DE HUNNIS, POPULO QVONDAM
 MINIME SLAVICO,
 Submisse, officiose ac peramanter
 invitat
 Jonas Gelenius, in Elect. Dresda
 Rector.

DRESDÆ, LITERIS HARPETRIANIS.



Q. D. B. N.
PATRONOS RELI
RARIE

Generis splendore, numerum
amplius, utque remississimis
adque excellentissimis
Summos; ac Doctissimos Virorum

ORATIONES
SUPREMAS

Invenit aliquot positior doctrina
et elegantiam composita praestant

In hac urbe adoleverunt Saxoniae
Academias discedentium

Quibus Deo volente
potestatis sunt concessae


ORATIONES
DE MUNICIPIO QVONDAM
MUNICIPII S. JACOBI

Subnunc officio ac potestate
inter

hanc Geleniam, in Elect. Dresda
Rector

DRESDAE, LITERIS HARTZIANIS





Vum superioribus his diebus, nescio quem libellum menstruum pervolutans, nec opinato inciderem in peculiarem quandam ac plane singularem opinionem Viri cujusdam celeberrimi, nimirum: *Hunnos veteres gentem fuisse Slavicam, nec quicquam ad bodieros Hungaros, quæ alias Historicorum Hungaricorum omnium, aliorumque Virorum clarissimorum est sententia, pertinentem; non mediocris, ne quid dissimulem, animum meum subit admiratio, qui ἠδύβοι hoc, saltem Hungaris, Viro fama meritisque præcellenti venire in mentem potuerit. Itaque ultro citroque illud agitanti, & conjecturæ atque cogitationi tradenti, rediit in memoriam, fuisse jam antehac quempiam, qui idem ipsum non animo tantum imbibisset suo, sed etiam literis mandatum in vulgus edere sustinuisset. Emunctæ naris Jesuita Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis suis Regni Bohemiæ Decad. I. lib. II. pag. 43. in medium producit hominem, *Hunnos Slavicum fuisse populum, Slavicam etiam lingua usum, audacter asserentem; ac tandem subjicit: tam falsum id esse, quam quod falsissimum; vel una Bonfinii, & cæterorum, qui de Hunnis & Hungaris egere, in se Etione, totam cadere assertionem: atque ante paulo, ubi rei hujus meminit, nunquam sonantius se visisse ait, quam cum hæc legeret.* Nos ut non fumus tam petulanti splene, ut risui admoderari non possemus; ita haud moleste quemquam laturum speramus, si pace diligentia summi Viri, ea, qua par est, modestia, ob rationes, ut quidem nobis videtur, haud plane nullas, in alia omnia discedamus, populumque Hunnicum à Slavis & gente, & lingua, & moribus atque institutis longe fuisse diversum evincere conemur. Ac primum quidem vel cunabula ipsa gentis utriusque affirmationem nostram probare videntur. Slavos enim origine esse Henetos, qui ex culatissima Asia parte in Europam effusi, ejusdem bonam partem colonias suis repleverunt, multorum magnorumque Virorum est sententia. Citare jam lubet, post alios multos, testem hujus rei gravissimum locupletissimumque Georgium Sabinum, Poetam clarissimum, eundemque ἱεροκράτορος, de ortu nationis Polonicae, quæ extra dubitationis aleam Slavica est, ita in præfatione de nuptiis Sigismundi Augusti Regis Poloniæ scribentem: *Non dubium est, Polonos Henetam gentem esse, quæ in Asia vicina fuit genti omnium laudatissima Ionica; & duce Ant-**

nore in Europam ducta, propinquas sedes in Illyrico occupavit, ac tenet etiam nunc ad hoc tempus; inde progressa ad septentrionem, omnia ad Visulam usque complevit. Nec de Henetis obscura sequor indicia. Gentium origines præcipue appellationibus & lingua indicantur; quos vero dicunt Venetos seu Venedos, hos esse Henetos seu Henedos ostendunt appellatio & locus, nam Henedos in Illyrico, ubi manet appellatio Venedorum, affirmat Herodorus: deinde linguam Polonorum, utpote Slavicam, congruere cum Illyrica manifestum est, & Urbium appellationes ostendunt. Hactenus Sabinus, cujus sententia si non fuerit ad palatum, ut sunt Viri docti, qui eam non usque quaque approbant, quos inter facile primas tenet Cluverius Lib. III. Germ. Antiquæ p. m. 682; is sciat Sabini opinionem præcipuis Historicorum Poloniae & Sлавiae adlubescere, ac magnorum pariter Virorum auctoritate se tueri, qui longo agmine facile adduci possent. Nobis tamen cum perinde sit, quæ incomparabilis Theologi ac Polyhistoris Davidis Chytræi sententia quoque est lib. I. Saxoniae suæ p. 3. sive a veteribus illis Henetis, cultissima genti Ionica in Asia vicinis, & in Europam ad mare Adriaticum adductis; sive ex Sarmatiæ Europææ & Asiaticæ campis latissimis olim progressi Venedi s. Slavi, Slavoniam, Serviam, Dalmatiam, Croatiam, Vinidorum Marchiam, Carniolam, bonam superioris Hungariæ partem, Poloniam, Moraviam, Bohemiam, Silesiam, Lusatiam, Misniam, Marchiam Brandeburgicam, in qua & Reges suos clanculum adhuc habere dicuntur, vid. Tollii Epist. II. Itiner. p. m. 42. conf. not. Henr. Christiani Henninii p. 52. Mecklenburgum, Pomeraniam, Rugiam & Casubiam multitudine sua repleverint; manet tamen, sedibus ab Hunnis profusus fuisse diversos, & non ab ultimis plane Poli Arctici plagis tantum terrarum spatium inundasse. At vero Hunnos ex horrido quodam Septentrionis angulo, ac terra frigore damnata, perpetuoque rigente gelu profluxisse, constans Historicorum omnium opinio est. Antonius Bonfinius, Afculanus Italus, Hungarorum alter ille Livius: *Hunni, ait, unde Hungari duxere genus, gens qua primum ad Araxim surdium pauca & contenta confederat, magnanimum sortita Regem, & belli ac gloria cupidum, montana ad Caspium usq. mare occupavit, campestria vero ad Oceanum & Maotim, quin etiam trajecto Tanai optimis rerum successibus usa, ad Thraciam usque pervenisse fertur*, Rerum Hungar. Decad. I. Lib. II. p. m. 29. Quod si Bonfinio, ut Historico recentiori, parum aliquis fidei tribuendum existimat, age succedat longe vetustior, Ammianus videlicet Marcellinus, stylo equidem horridus, sed veritatis studiosissimus, & si quid Vostio credimus, Scriptor prudens, gravis, ac plane ferus, & dignus qui ab omnibus, Germanis præcipue, ametur, mirifice enim illustrat veteris Germaniæ situm. Hic itaque Ammianus Marcellinus ita de Hunnis, ejus circa ætatem in lucem & noticiam emergentibus: *Hunnorum gens, monumentis veterum leviter nota, ultra paludes Maoticas glaciale oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit*. Rerum gestarum lib. XXX. p. m. 434. Gemina his tradit B. Hieronymus in Epitaphio Fabiola, & operosius Procopius Lib. I. Perficorum & IV. Gothicorum: confer. not. Valefii in locum Marcellini p. m. 415. Sed progrediamur ad reliqua. Illi sane Historicorum, qui nobis utriusque gentis non corporum tantum, sed animorum etiam simulacra diversosque morum atque ingenii habitus sua politos atque expressos industria reliquerunt, eas certe duxere lineas, ut populum utrumque longe a se invicem disjunctum fuisse, ex facili appareat. Vidimus jam supra Marcellinum Hunnos omnem fe-

rita.

ritatis modum excessisse, afferentem, audiamus jam quæ porro illis
 elogia, sed nigro picta carbone, suspendat: *per inducias, inquit, infidi,
 inconstantes, ad omnem auram incidentis spei novæ perquam mobiles, eorum
 furori incitatisimo tribuentes, inconsultorum animalium ritu quid bonestum
 bonestum de sit penitus ignorantes, adeo permixti abiles & irasci faciles, ut eodem
 aliquoties die a sociis nullo irritante sæpe desciscant, & itidemque propitiantur ne-
 mine leniente. Sed nihil hujuscemodi de gente Slavica legere est, utpo-
 te cujus longe aliam effigiem nobis auctores delineant, non quasi & ea
 ab omni prorsum, præsertim dum gentilissimi adhuc immeris jaceret te-
 nebris, morum feritate atque crudelitate fuerit aliena; sed ad quam
 nonnisi hostium irritata injuriis, suisque inquietata sedibus, vel invita sæ-
 pe disceserit. Quin & hodie maxima pars populi Slavici ingenio est
 placido ac leni, nec ut gentes aliæ iracundiæ facile parens, sed potius
 simplicitate quadam mitis ac tractabilis, hinc sæpe eos disterium hoc
 usurpare audias: *Немецъ, брѣнъ, Улѣръ турѣнъ, Словачекъ, шротачекъ, h. e. Ger-
 manos animi esse magni atque elati, Hungaros duri atque ferocis, Slavos vero
 mitis atque simplicis. Porro suam cuique genti certam atque propriam
 quasi bellandi esse rationem, & aliam ab equitatu esse firmam, aliam au-
 tem valere peditatu, neminem facile inficiaturum arbitror, cum hoc
 ipsum vel nostris etiam temporibus usu cognitum sit. Hunnos autem
 veteres equestri tantum polluisse militia, quod & posteris eorum hodi-
 ernis Hungaris usurpatur; (nam pedites, quos illi Heiduccos vocant,
 Slavicæ potissimum sunt originis,) multis auctorum testimoniis firma-
 re licet. Prodeat iterum in medium Ammianus Marcellinus, ita loco
 jam adducto scribens: *eorum calcei formulis nullis aptati, vetant incidere
 greffibus liberis; qua causa ad pedestres parum accommodati sunt pugnas, ve-
 rum equis prope adfixi, duris quidem, sed deformibus, & multebriter illis non-
 nunquam insidentes, funguntur muneribus consuetis. Hinc Hadriano Vale-
 sio norante *ἀνοδες & ἀνεγοφάδεις Hunni dicuntur apud Suidam, atque in-
 de indignatur B. Hieronymus in epitaphio Nepotiani: *proh pudor! fu-
 git Romanus exercitus, victor orbis & Dominus. Ab his vincitur, bos patet, bo-
 rum terretur aspectu, Hunnos autem intelligit, qui ingredi non valent, qui
 si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Sic Claudianus Lib. I. in Ru-
 finum de Hunnis:*****

*Nec plus Nubigenas duplex natura biformes
 Cognatis aptavit equis.*

Ubi vide quæ Nobiliss. Barthius in hanc rem commentatur. Contra ea
 Slavi pedites potissimum depugnarunt, quod ex Procopio libro III. de
 Bello Gothico discere est. *Slavi, ait, in prælio pedestres plerique in hostem
 eunt, clypeum relaque in manu gestantes, thoracem tamen non induunt, nonnul-
 li vero necritam quidem & obsoletam habent, interea dum bellum sit, vestem,
 sed velament a duntaxat quadam, ad femur usque tendentia, hunc in modum ad-
 versus hostes consistunt; quod, nisi fallor, vel solum suffecerit ad vincen-
 dam populi utriusque diversitatem. At vero plura sunt, quæ strictim
 jam tantum attingere juvat: Differebant siquidem & forma regiminis
 atque administratione imperii. Antiarum Slavinorumque nationes, scribit
 loco citato Procopius, non ab uno homine aliquo reguntur, sed ab antiquo com-
 muni plebejæque libertate vidunt; quanquam sequioribus temporibus rem
 muravisse non negaverim, vid. celeberr. Schurzfleischii Res Slavicas
 §. 5. Hunni vero licet nulla acti fuerint severitate Regali, optimatum tamen
 regebantur imperio, sæpius laudato Ammiano Marcellino teste, hinc notum
 eorum*

eorum Duces Keve, Kadischa, Keme, Attila aliique. Jam quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus unius cujusque? Verum hæc Hunnis nulla, ac ne turgia quidem, quibus ab injuriis cæli corpora defenderent. Ita iterum Marcellinus: *Hunni ædificiis nullis unquam tuti, sed hæc velut ab usu communi deserta sepulchra declinant, nec enim apud eos vel arundine fastigiatum reperiri turgium potest, sed vangi, montes peragrantes & sydas, pruinas, famem sitimq. perferre ab incunabulis absunt.* Contra Slavi jam inde pene ab origine gentis ædificatores, aut verbo Tertulliani, ædifices. Citetur iterum testis Procopius Lib. III. de Bello Gothico: *Slavi, inquit, habitant incondita quedam turgia, & longo ab invicem intervallo, & singuli domicilii locum, ut sepe fit, mutant.* Sed hæc eorum turgia, straminea fortasse, vel cespite congesta vivo, processu temporis in domos referas omnibus rebus, atque instructa exornataque excrevere oppida. Documento huic rei sit vel hæc nostra Misnia, quæ tot urbium, oppidorum, vicorum pagorumque suorum originem Slavis potissimum debet. Sic Dresda, Regina hæc urbium Misnicarum, quæ Venedis Drahtiani audit, appellationem a vocabulo Venedico seu Slavico Draht, hoc est irritare, vel ad pugnam provocare, trahit, dixeris locum irritationis vel provocationis ad pugnam, quæ fortasse hic cum Hermunduris aliisque populis Germaniæ, in has oras postliminio redeuntibus, ut sit, sæpe commissa fuit. Sic Pirna a Slavico Pernowe, Torga a Turfowe, Chemnitzium a Kamenitz, Lommatium a Olomatich, Belgera a Belyhrad, Wurzenaa Bureh, q. d. oppidū ad flumen, Strela a Strelowe, sagitta, quæ hodie adhuc oppidi inigne, Lipia a Lipso vel Lipice, Lipa enim Slavis tiliam denotat, nomina sua acceperunt. Ut nihil jam dicam de pagis urbana hanc nostram circumjacentibus, qualis *Brissitz* a *Bregowe* becularum copia, *Beseritz* a *Bystrice*, vicino fluvio, qui nobis die *Beisitz* dicitur, a vocula Slavica *Bystri*, quæ rapiditatem significat, *Közenbroda* a *Koczbrod* q. d. vadum cattorum, vadum enim *Brod* Slavis est. Et quis omnia ad digitos miserit? A penatibus tectisque ad vitæ cultusque rationem fiat transitus. Slavi hospitales fuisse perhibentur, & in mentarum apparatu lauti. Helmodus ex Chron. suo Slavico Lib. I. c. 82. excitetur testis, ita scribens: *expletis mysteriis sacris, rogavit Pribislavus, ut diverteremur in domum suam, quærat in loco remotiori.* Et excepit nos cum magna alacritate, *fecitque nobis convivium lautum: mensam nobis appositam viginti fercula accumulavit. Illud tum experimento didici, quod ante fama vulgante cognovi, quia nulla gens honestior Slavis in hospitalitatis gratia.* Et sane hoc ipsum hospitalitatis & lautioris victus studium manavit & ad posteros eorum hodiernos populos Slavicos, adeo, ut festis præcipue diebus exquisito ferculorum apparatu mensas suas non tam ornent, quam onerent potius, & convictibus ac hospitibus non alia gens indulgeat effusius. At vero quam misera in re cibaria ea tempestate Hunnorum fuerit conditio, Marcellinus iterum nos doceat: *Sic & in vita, inquit, Hunni sunt asperi, ut neque igni, neque saporatis indigeant cibis, sed radicibus herbarum agrestium, & fœnicuda cyparissæ pecoris carne vescantur, quam inter femora sua & equorum terga subsertant, fœtu calefaciunt brevi.* Illud fortasse etiam non parum ad opinionem nostram firmandam contulerit, quod, cum tot Hunnorum populos, seu eorum potius appellationes ab auctoribus præcis enumeratas videas, Slavorum vel Slavo-Hunnorum nulla fiat mentio; occurrunt enim apud Procopium, Agarhiam, Jornandem, Menandrum, Priscum Rhetorem: Hunni Avares, Hunni Albi, qui & Euthalitzæ, Cuni, Cutruguri,

guri, Saberi, Hunniguri, Hunugari, Ultizari aliique: Sic ex adverfo gentes Slavicas variis nominibus passim insigniri relatum legimus, qualia sunt: Antæ, Budini, Mosci, Venedi, Henedi, Vinidi, Velerabi, Rheldarii, Circipani, Serbi, aliique recentioris ævi, in iis tamen nulli Hunni aut Hunno Slavi memorentur. Quid? quod Procopius de bello Gothico Lib. III. p. m. 157. Hunnos à Slavis clare distingvere videatur, ita scribens: *Hunc, nempe Childibium, Justinianus Imperator, quarto Imperii anno Ibracia universa Prefectum ad Elstram flumen tuendum constituebat, ne de cætero Barbaris pervium esset, quando quidem antea sepe UT HUNNI, ita & ANTARUM SLAVINORUMque gentes flumine eodem trajecto insaniabilibus malis eam affecerant.* Et ne plura: hodierni in Transylvania Cicuti, quos falso Siculos nominant, indubitata Hunnorum veterum propago sunt, ut demonstrat Otrokocli originum Hungaricar. lib. I. c. 10. p. m. 454. Hi vero communi cum Hungaris hodiernis lingua gaudent, qui si Slavicae originis essent, dubio procul, ut Slavi reliqui, linguam avitam patriamque retinuisissent. Calculum suum nobis adjicit jam dictus Otrokocli, & Amicus noster Matthias Belius, Rector Scholæ Poseniensis Evangelicæ, Vir clarissimus atque eruditissimus, rerumque Hungaricarum, si quis alius, scientissimus, in Exercitatione sua de veterè literatura Hunno-Scythica. Quæ de voce Slavica Græmabø, Hunnis olim in funerum exequiis usurpata; nec non de Lingua Hungaricæ & Finnicæ harmonia pro stabilienda sententia sua Vir Clariss. in contrarium adducit, ea de re alio loco & tempore, si DEO visum fuerit, fortasse acturi sumus. Cæterum licet hinc a nobis, & ex umbraculis Scholæ nostræ in lucem Academicam plerique discedentium Juvenum fortis sint afflictæ, & in re oppido tenui, materiam tamen in qua vires ingenii sui experientur de divitiis atque pecuniis, occasionem ad hoc ipsum subministrante oratione Mureti Volum. I. septima, sibi depoposcere; quorum ego desideriiis eo lubentius sum assensus, quo amplitudo argumenti, & dicendorum seges ingenii eorum visa accommodatior, amissa interim retrusarum quaestionum enodatione, ad altiora, quo etiam pertinent, subsellia. Quia vero divitias quosdam dicendo affligere, ferione, an simulate? non jam disquirimus; quosdam contra laudibus ad cælum evehere videas; ita etiam nostri in duo quasi partiti agmina, alii in divitias styli aciem distringent, easque in nullo numero habendas esse evincere conabuntur. Et quidem

I. JOH. CHRISTOPHORUS BOEKELIUS, Geisingensis, in celebrem Lipsiensem profecturus, divitias non tantum fluxas & fragiles esse, sed etiam ex iniquo originem trahere docebit.

II. JOH. FRIDERICUS May, Frauenhaynenis, inclytam Vitebergensem aditurus, Divitias tum inutiles esse, tum etiam curis atque ærumnis vitâ hominū complere ostendet.

III. JOH. CHRISTIANUS Köhler, Glashutentensis, celebrem Jenensem petiturus, Divi-

rias

tias scelerum atqve flagitiorum procreatrices esse, contendet.

IV. SAMUEL Schneider, Cunnersdorffensis, aliam Philuream salutaturus, idem carmine elegiaco tentabit.

V. JOH. CHRISTIANUS Gleditsch, Satisdorffensis, eandem Philuream invisurus, cum Divitiæ tam male audiant, Paupertatem bonæ mentis, & suam etiam forem laudibus evehet.

Alii e diverso pro Divitiis verba facient, quorum

I. CHRISTIANUS Gotthelf BERNHARDI, Dresdensis, aliam Leucoream accessurus, divitias ad parandam virtutem sapientiamque instrumentum esse summe necessarium ostendet.

II. JOH. GEORGIUS Trömer, Dresd. Divitias in Republica non necessarias tantum esse, sed eidem etiam splendorem ac majestatem quandam circumfundere edifferet.

III. JOH. CONSTANTINUS GELLIUS, Dresd. pecunias & opes belli pacisque esse præsidia monstrabit.

IV. JOH. CHRISTIANUS Blümichen, Dresd. quantum in re privata ac domestica opes divitiæque valeant docebit.

V. AVGVSTVS Gottfrid MATTHÆI, Dresd. divitias, ex possidentium indole æstimandas pronuntiabit.

Quibus peractis prodiit iterum in medium JOH. CONSTANTINUS GELLIUS, celebrem Lipsensem pariter aditurus, suoque & Condiscipulorum secum hinc abeuntium nomine Patronis ac Preceptoribus grates debitas persolvet, & supremum dicet Vale. Cui vilitationi literariæ, ut Patroni atqve Mæcenates, & quicumque erectioribus ingeniis favent, benigne interesse, eamque e pronis & æquissimis auribus accipere dignentur, qua decet observantia, officiorumque nostrorum, si quæ a nobis proficisci possunt, pollicitatione maximopere contendimus. Digredientibus vero hinc à nobis frugi Discipulis quid habemus precari aliud, quam ut juxta assiduum supremi Numinis cultum atqve reverentiam, numquam non pedore animoque circumferant illud vetustate contritissimum:

DIC CUR HIC? P. P. in Regia & Electorali Dresda die 24. April.

A. R. S. M DCC XX.

Ung VI 4

(x 2743293)



U 17
U 18





idit, quam sub directi-
t: eo tamen ipso mille
terra lingua Italica igna-
neque minoribus pericu-
redibat. Ubique cam
am mortem expectabat.
viosa cura periculis istis
loxarum asyllum perve-
gratulatur, de Mar-
vripisqve restatur, Et No-
conatur. Cum igitur
vitaqve apud NOS ge-
alias Svtfaricas modeste

Q. D. B. V.
PATRONOS REI LITE-
RARIÆ
Generis splendore, munerum
amplitudine, usuqve rerum illustres
atqve excellentissimos,
Summosq; ac Doctissimos Viros alios

ad
ORATIONES
SUPREMAS

Juvenum aliquot politiori doctrina moribusq;
ad elegantiam compositis præstantium,
&

Hinc a nobis ad celeberrimas Saxoniae
Academias digredientium,

Craftina Deo volente luce,
peracto cultu sacro pomeridiano,
habendas,

DISSERTATIONCVLA HAC
DE HUNNIS, POPULO QVONDAM
MINIME SLAVICO,

Submissè, officiosè ac peramanter
invitat

Jonas Gelenius, in Elect. Dresda
Rector.

DRESDÆ, LITERIS HARPETRIANIS.

